



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 11. Bellum Lusitanorum contra Mauros in Africa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



**Sæcul. XVI.** das sibi suppeditari rationes, ex quibus  
**A.C. 1508.** subscriptionem detrectare posset; de ce-  
 tero Foederatorum societatem, Pontifice  
 patrocinium suum denegante, mox dis-  
 solutum iri ajebat. His perceptis Ba-  
 doeres totam rei seriem ad Rempublicam  
 perscripsit, cujus Senatores habito con-  
 ventu, cunctisque, quæ Legato responde-  
 rent, mature perpensis, una omnes in Tre-  
 visani Procuratoris sententiam abiere,  
 qui eos hortabatur, ne incautius Ponti-  
 ficis fidei sese committerent; fore enim,  
 ut ille, recuperatis Faventia, & Arimino  
 urbibus, firmato foedere Ravennam quo-  
 que atque Cerviam repeteret; Curia e-  
 nim Romanæ nil solemnius esse, quam  
 pactorum fidem frangere ajebat. His  
 Trevisani rationibus permoti Senatores,  
 cum nullatenus concordiam cum Ponti-  
 ficis inire statuissent, Julius Camera-  
 cense foedus acceptavit, ratumque habuit,  
 hanc in rem diplomate seu Bulla die  
 vigesima secunda Martii Anno salutis mil-  
 lesimo quingentesimo nono edita.

## §. XI.

*Bellum Lusitanorum contra Mauros  
in Africa.*

*Marian. l. 29* Solus ferme Emanuel Lusitanæ Rex  
*n. 69.* Foederatorum societati nomen dare  
*Ojorius lib. 6* recusabat: dum enim interea ceteri a-  
 trocia



trocia inter Christi fideles bella pararent, is fidei Christianæ, atque imperii, nominisque sui per totam Asiam atque Africam propagationi studebat. Nec illi deerat occasionis opportunitas; quippe Maurus quidam nomine Zesam Fezzæ Regi Patrueli suo graviter offensus, sponte sua Lusitanos accesserat, eisque, si sese illius fidei committerent, Azamoram nobilissimam urbem ad maris litora sitam prodere pollicebatur. Emanuel tam amplam occasionem haud negligendam existimans, validam classem instruit, eique ductore Joanne de Menezes peditum duo millia, equitesque quadringentos imponit, ac die vigesima sexta Julii e portu Ulyssiponensi solvit. Verum vix classis ad Africæ oram appulsa est, dum perfidia Mauri detecta, ac nimium facile fidem ei fuisse adhibitam constitit; etenim ipse quantocius fuga elapsus, Azamoram repetiit, idcirco Lusitani cum ab Infidelibus ex insidiis opprimi vererentur, nulla mora viam relexerunt, relictis quibusdam navibus, quæ unacum triremi sabulo infixæ hæserunt; classis vero, cum Ulyssiponensem portum attingere non posset, ad Fretum Gaditanum procurrare compellebatur, in obvio quovis portu præsidium quæsitura, donec favente aura tuto in Lusitaniam reverti valeret. Verum hæc ipsa adversantis fortunæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1508.

Raynald. hoc  
num 9

Barros. dec. 2  
lib. 3. c. 2 3.

Es 4.  
Nasse lib. 3.

Es 4.



Sæcul. XV. fortunæ iniquitas ingentis prosperitatis  
A.C. 1508. auspiciū erat.

## §. XII.

*Mauri Arcilla urbe pulsī.*

*Marian. lib. 29. n. 36.*  
*Raynald. ib. n. 12.*  
*Surita lib. 5. cap. 23.*  
**R**ex enim Fezarum, sive Lusitanorum  
 victorias indignatus, sive gloriæ cu-  
 piditate stimulatus, die nona Octobris  
 cum valido exercitu Arcillam urbem  
 cinxit, eamque impetu facto occupavit.  
 Equidem illius Præfectus celeri fuga sese  
 ad arcem receperat, eam tamen Rex  
 quantocius adoriebatur, ac globis conti-  
 nuo emissis quatiebat: quapropter  
 Joannes Menesius, qui ad Tingis portum  
 confugerat, accepto tristi nuncio confe-  
 stim cum classe sua obsessis in auxilium  
 accurrit, Maurisque aggere, quem oc-  
 cupaverant, depulsis, arcem subsidiis, an-  
 nona, armorum apparatu, cunctisque re-  
 bus, quibus obsessi ad strenuam defensio-  
 nem opus habebant, opportune instruxit.  
 Præterea Ferdinandus, qui tum Hispali  
 agebat, novos Maurorum insultus veri-  
 tus, Petro Navarrae Comiti negotium de-  
 dit, ut cum classe sua, quam in Heracleæ  
 sinu habebat, sine moræ dispendio Chri-  
 stianis præsto esset; igitur die trigesima  
 Octobris prope Arcillam appulsus, tam  
 vehementi tormentorum explosione Mau-  
 rorum castra infestaverat, ut illis inde  
 rece-